

Ecclesie, in cuius territorio grex pascitur, quam illi, in cuius territorio ovile locatur. Hac secundum se; sed ut ante, stetur consuetudini.

#### §. IV. Qui teneatur solvere Decimas?

**D**ico 1. Omnes Laici, quicumque sint, sive Christiani, sive Iudei, aut Pagani, qui possident pradia alicui Ecclesie subjecta quoad Decimas, eas iure communi tenentur solvere. Quia est onus rei annexum in stipendium Ministrorum talis Ecclesie. Sylvester verbo *Decime* num. 1. 2. & 13. Dico *iure communi*; quia privilegio, aut consuetudine quidam eximi possunt.

Dico 2. (A. 4. o.) Clerici in quantum Clerici, id est in quantum habent possessiones ex Ministerio spirituali obvenientes, Decimas solvere non tenentur. Quoad hoc verò, quod possident proprio iure, vel ex successione Parentum, vel ex emptione, vel quocumque simili modo, sunt ad Decimas solvendas obligati. Ratio utriusque; (*Ibid.* & in *arg. s. c.*) quia idem secundum idem non potest esse causa dandi & accipiendi, sicut nec causa agendi & patiendi: Clerici autem, in quantum sunt Ministri Altaris spiritualia populo seminantes, Decimæ a fidelibus debentur: ergo, quia tales ad eas dandas non obligantur. Hinc Paschalis II. dicit: *Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis Decimas exigant.* L. 3. Decret. tit. 30. de *Decimis c. Novum* 2. Contingit tamen (*ib.*) ex distinctis causis & respectu diversorum eundem esse danentem & recipientem, sicut agentem & patientem. Unde quoad ea, quæ possident Clerici alio titulo, quam spirituali, a decimis non eximuntur, & de illis bonis intelligendum, quod dicitur in fine dicti capituli: *illi, qui a Clericis spiritualium Ministeriorum labores recipiunt, Decimas eis debent.*

Ex his inferes, (*Ibid.* ad 1.) pradia sita intra terminos alicuius Ecclesie, si alteri Ecclesie intuitu spiritualium Officiorum conferantur, per se non debent amplius solvere Decimas prioris Ecclesie. Patet tum ex ratione allata, tum ex iure cit. Per accidens tamen obligati possunt, vel ex consuetudine contraria, vel si inde prior Ecclesia graviter atenuaretur; tunc enim vel Decimæ sunt adhuc solvenda; vel compensatio præstanda. Unde colligitur ex *c. Suggestum* sit. cit. *De Decimis*; idque inquit æquitas naturalis, quæ non patitur statum Ecclesie ralem inordinationem inducere; ut unus esuriat, & alter ebrius sit. Itæ Cajet. & Sylvius hic.

Dico 3. (*Ibid.* ad 3.) Sicut Dominus mandavit Levitis, Num. 18. ut solverent Summo Sacerdoti Decimam Decimæ; ita nunc eadem ratione tenentur Clerici Summo Pontifici Decimam dare, si exigeret. Naturalis enim ratio dicitur, ut illi, qui habet curam de communi multitudinis statu, provideatur unde possit exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Hanc autem Decimam Papa exigere non solet, nisi in casu extremæ necessitatis, ut factum est sub Innoc. III. pro recuperatione Terræ Sanctæ; sed loco Decimarum solvendarum solet exigere semel ex maioribus Beneficiis, scilicet ex Episcopatibus & Abbatibus fructus unius anni, qui dicuntur *Annate*.

Dico 4. (*Ibid.* ad 2.) Religiosi de iure communi, & secluso privilegio tenentur solvere Decimas, quia secluso privilegio sunt subjecti Parochiis; & colligitur ex cap. *Ex multiplici* 3. & cap. *Ex parte* 10. tit. 30. *De Decimis*. Et habetur expressè in Conc. Later. ann. 1215. sub Innocentio III. cit. cap. *Nuper* 34. eodem tit. de possessionibus acquisitis post dictum Concilium. (*Ibid.*) Verum immunitatem habent secundum diversas concessiones a Sede Apostolica factas. Unde

Dico 5. Religiosi non tenentur Decimas solvere *De mobilibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis.* Itæ in propriis terminis in iure cap. *Ex parte* 10. tit. 30. *De Decimis*, quod est Honorii III. Successoris Innoc. III. estque sententia communis, & in praxi recepta. Novale autem est ager, seu prædium de novo cultum, cum supra hominum memoriam non cohereret, ideoque modicum, vel nullum fructum afferret.

Dico 6. Attentis subsequentibus Constitutionibus Apostolicis, de nullis omnino bonis Decimas solvere tenentur Regulares. 1. Pius IV. Bulla *De statu* 5. apud Cherubinum, data anno 1560. eximit Moniales a quibuscumque Decimis, subsidiis, & oneribus, his verbis: *Moniales... quorumvis Ordinum... ipsaque Monasteria & domos... eorumque possessiones, & alia quæcumque bona mobilia & immobilia a quarumcumque Decimarum & subsidiorum, ac aliorum onerum, quomodolibet nuncupata-*

*rum... in perpetuum prorsus eximimus & liberamus.* Et licet Pontifex loquatur tantum de Monialibus in Italia consistentibus, tamen per communicationem extenditur ad omnes Religiones tam viorum quam mulierum, ubique existentium, iuxta varias Bullas SS. Pontificum, quas citat de la Cruz *De statu Relig.* l. 2. c. 4. 2. Paulus III. Bulla *Licet* 48. apud Cherubinum, concedit Patribus Societatis Jesu, *Ut de domibus & Collegiis, ac eorum prædiis, hortis aliisque locis... & aliis bonis quibuscumque, per dictam Societatem & Collegia possedis & obientis, aliquam Decimam, etiam Papalem, solvere... minime teneantur.* Et quia in hac Bulla Pauli III. non erat expressè derogatum capiti *Nuper*, superius citato, Generalis Societatis exposuit Gregorius XIII. Bullam Pauli III. idè posse vitio nullitatis notari. Quapropter Gregorius XIII. Bulla *Pastoralis* apud Cherub. 51. data ann. 1578. confirmans priorem Constitutionem Pauli III. & alteram Pii IV. expressè derogat capiti *Nuper*.

Dixi *attentis Constitutionibus Apostolicis*; quia scio praxim esse contrariam in pluribus locis, neque facile permitti Regulares talibus frui privilegiis.

Opponunt etiam detrimentum inde securum aliis Ecclesiis, quæ antea ex his possessionibus Decimas percipiebant, quæque ex multiplici acquisitionibus per Monasteria ad summam egestatem cogi possent, quod est inconveniens non ferendum. R. quod, casu quo priorum Ecclesiarum Ministri inde egestate premerentur, quod rarum est, Decimæ essent adhuc ipsis solvenda, aut compositio præstanda, ut colligitur ex cap. *Suggestum*. Tit. cit. *De Decimis*; & diximus supra conclusionem secundam. Vel honestæ eorum sustentationi per SS. Pontificem, aut aliunde, subveniendum esset, secundum quod exigit æquitas naturalis.

Ceterum, per se loquendo, sicut auctoritate Apostolica factum est, ut tale prædium Decimas solveret, sic eadem auctoritate effici potest, iuxta subsistente causa, ut eas amplius non solvat, vel alteri solvat. Unde, quamvis inde Ecclesie quædam patiantur aliquod detrimentum, non tamen fit illis injuria, cum S. Sedes in hoc utatur iure suo: non enim ita hoc onere gravavit hoc vel illud prædium in favorem huius, vel illius Ecclesie, quod sibi ademerit potestatem, vel illud remittendi, vel alteri Ecclesie conferendi.

Dico 7. (*Quodl.* 6. a. 10. o.) Etiam pauperes (modò tamen extremam necessitatem non patiantur) tenentur solvere Decimas clericis, quantumvis divitibus. Prob. (*ib.*) Decimæ debentur Ministris Ecclesie, non ratione personæ, sed ratione Ministerii, & ex iustitia commutativa, in qua non variatur medium secundum diversas personæ conditiones ut in aliis virtutibus, sed attenditur solum æqualitas rei ad rem; qui enim emit rem aliquam, debet tantum solvere, quantum valet, sive a paupere, sive a divite emat: ergo.

Si dicas, Decimas esse institutas propter sustentationem Ministrorum Ecclesie; Ministros verò divites habere aliunde, unde sustententur. R. (*ib.*) Decimas esse institutas propter sustentationem Ministrorum tanquam propter rationem finalem talis institutionis, non tanquam propter titulum, propter quem debita est illis sustentatio. Ille enim titulus est ministerium populo exhibitum. Unde, sicut operario diviti non minus debetur merces operis præstiti, quam pauperi, ita similiter Clerico diviti ministeria spiritualia præstanti non minus debentur Decimæ, quam pauperi.

Inst. Quæ sunt superflua Clericis, debentur pauperibus: ergo. R. Quæ sunt superflua Clericis, non debent pauperibus ex iustitia, ut dicitur est alibi: sed datò, quod multi volunt, debentur ex iustitia, distinguo Ant. debentur pauperibus in communi iuxta dispensationem Clerici, C. Ant. huic, vel illi pauperi determinatè N. Ant. Satisfaciat ergo in primis pauper suo debito, deinde expectet elemosynam a Clericis iuxta prudentem eorum dispensationem.

Non nego tamen eos, qui gravi paupertate premuntur, posse ad tempus melioris fortunæ differre solutionem Decimarum; tum quia in gravi necessitate potest differri solutio debiti cuiusque ex titulo justo contracti; tum etiam qui præsumitur ex una parte Ecclesiam benignam Matrem non intendere, et in tanto rigore Decimæ a Fidelibus gementibus exigantur; ex altera parte parochos, qui suis Parochianis subvenire tenentur, iniquo animo non ferre, si ipsi Parochiani in tanta inopia sibi ad tempus retineant, quod ipsi aliunde à Parochiis erogandum ferret. Est autem hæc disparitas inter extremam & gravem necessitatem, quod extrema tollat omnino obligationem solvendi, gravis verò suspendat, ut dicitur alibi.

DIS-

## DISSERTATIO IV. DE VOTO.

D. Thom. Quæst. 88.

### ARTICULUS I.

Quid sit Votum?

**D**ico: Votum est promissio Deo facta de meliori bono. Est communis, & colligitur S. Th. hic a. 1. 2. & 5. Promissio verò est deliberata, & spontanea fidei obligatio. Itaque ad valorem voti requiruntur sequentia. 1. Promissio, & non simplex propositum. 2. Intentio se obligandi. 3. Deliberatio. 4. Spontaneitas, seu libertas. 5. Quod sit de re bona, eaque meliori, quam ejus contradictoria. 6. Tandem, quod fiat Deo. Explicatur singula.

1. *Promissio, & non simplex propositum.* (Art. 1. o.) 1. Quia Scriptura exponit votum per promissionem Ecclesiastice 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stultia promissio.* Et infra, multo melius est nonovere, quam post votum promissa non reddere. 2. Quia iuxta communem omnium sensum votum essentialiter obligat, at non simplex propositum, sed promissio obligationem inducit: (*ib.*) in hoc enim differunt propositum & promissio, quod propositum sit actus voluntatis deliberatæ, quo quis vult quidem facere id, de quo deliberat, sed nondum obligat se ad illud faciendum: unde poenitentes, qui in Confessione proponunt, non peccare amplius, non committunt duplex peccatum, si postea relabantur. Promissio autem est actus rationis a voluntate imperatus, scilicet ordinatio, seu locutio quædam, qua quis seipsum alteri obligat; sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodam modo, quid sibi ab aliis fiat; ita promittendo ordinat, quid ipse pro alio facere debeat. Nec obstat, quod cap. *Consulti* tit. de *Regularibus*; & cap. *Statutum* eodem titulo videatur votum reponi in proposito: respondetur enim, hæc Jura loqui de proposito pro votum firmato; ut probat Sylvius hic. Si dicas: qui proponit aliquid facere, utitur saltem tacite hoc verbo, *faciam*, quod videtur obligationem: respondeo, hoc verbum, *faciam*, aliquando equidem esse obligationem, præsertim in contractibus onerosis, sed etiam aliquando, & sæpe non esse obligationem, sed tantum significare quid sit in animo, ita ut ejus sensus sit: *mihi est animus faciendi.* Unde sæpe dicimus: *Faciam equidem, sed non promitto.*

2. *Intentio se obligandi*; quia, cum actus agentium ex intentione non operentur ultra intentionem agentis, ut dicitur communitè seclusa intentione se obligandi, nulla erit obligatio, adeoque nec votum, de cuius essentia est, quod obliget, ut dictum est: Ex quo inferes, eum, qui intendere quidem voveret, sed interitus nollet se obligare, non teneri voto; quia hæc secunda intentio est contra substantiam voti, adeoque destruit primam, & consequenter votum, nisi forte voluntas vovendi esset efficacior voluntate non se obligandi, quod non præsumitur. Unde talis non verè vovet, sed simulat se voveret, & mentitur; si sciat naturam voti; aut saltem fallitur, si putet, se posse voveret absque obligatione: sicut, qui diceret, se donare rem, quam non vellet a se alienare, non verè donaret, sed simulare se donare, quia hæc conditio foret contra substantiam donationis, & ipsam destrueret. Itæ communitè contra Soto. Quod si intendere quidem se obligare, non tamen adimplere promissum, licet peccet graviter sic vovendo, tenetur tamen voto: quia, sicut non est de essentia voti, aut promissionis, quod res promissa præstetur, ita nec de ejus ratione animus præstandi, modo sit animus se obligandi.

Dicit quidem S. Th. (*Ibid.*) ad votum tria ex necessitate requiri, deliberationem, promissionem, & propositum faciendi, sed loquitur de voto secundum quod sit communitè, modo scilicet legitimo, & absque peccato; seu loquitur de iis, quæ sunt de necessitate voti, qua liciti, non qua validè præcise.

Si dicas: tale votum a Deo non acceptari, quia vitiosum est, & malum, adeoque non obligare. Respondeo non acceptari quidem a Deo ad meritum & præmium, acceptari tamen ad debitum & obligationem; quia, ut suppono, est de re bona, licet mala circumstantia vitietur: sicut, qui ex *Thol. Billuart.* Secunda Secunda.

vana gloria voveret dare elemosynam, votum teneret, & acceptaretur a Deo ad debitum, licet non ad meritum, quia malum est.

Quoad qualitatem verò hujus intentionis necessarie, non requiritur actualis, nec explicita; non sufficit habitualis, nec indirecta; sufficit autem sive actualis, sive virtualis implicita. Exponitur: *Non requiritur actualis, nec explicita*: quia in nullo actu humano ad ejus validitatem talis intentio requiritur. *Non sufficit habitualis*, quæ quidem prius habitata est, & non revocata, sed nec perseverans in operatione morali, ut dicam modo de virtuali, ita quod non vi illius fiat votum, qualis est v. gr. in eo, qui cum intendisset vespere voveret sequenti die, dormiens, aut ebrius verba voti proferret. *Nec etiam indirecta*, aut interpretativa, qua nempe votum non intenditur in se, sed in causa, qualis est in eo v. gr. qui sciens se in ebrietate multa voveret, voluntarie se iuchiat, & ebrius vovet, promittit, &c. Nec refert, quod quidam actus, puta homicidium in ebrietate perpetratum, imputetur illi, qui scit se solere in ebrietate peccare: disparitas est enim, quod homicidium volita: ad votum autem non sufficiunt verba exteriora prolata, sed requiritur intentio vera & libera scilicet obligandi. *Sufficit actualis implicita*, qua quis in conceptu confuso v. gr. vult voveret, sciens aliunde naturam voti, aut etiam si nesciat, proferat tamen verba voti ea intentione, qua alii voverentes proferunt, in his enim, & similibus casibus implicite intenditur obligatio. *Vel virtualis implicita*, quæ nimirum habetur vi præcedentis intentionis actualis non revocata, & virtute perseverantis in operatione morali, ita quod vi illius intentionis præcedentis emittatur votum. Qualis est v. gr. in Novitio, qui hodie manè intendens professionem emittere varie postea distrahitur, sed tamen tempore statuto se ad professionem comparat, ad Altare accedit, verba Professionis recitat mente distractus, nec ullam pro tunc habens intentionem actualem vovendi, aut se obligandi, valet Professio; quia vi prioris intentionis in opere morali perseverantis præsens emittit votum.

3. *Deliberatio*, perfecta scilicet, & qualis requiritur ad actum perfectè moralem; quia nemo censeri debet velle sibi imponere tam gravem obligationem, nisi ex plena advertentia, perfecta deliberatione, & maturo iudicio. Unde deliberatio, quæ requiritur, & sufficit ad peccatum mortale, requiritur, & sufficit ad votum: qui enim potest se obligare Diabolo, potest se obligare Deo, inquit Gloss. in *C. Melior* 32. q. 2.

Hinc resolves 1. eum teneri voto; qui licet non omnes omnino voti circumstantias perpenderit, neque diuturna mentis agitatione discussisset, pleno tamen sensu, perfectæque deliberatione, quæ brevi intervallo haberi potest, obligationem voti advertens, eamque sibi convenire iudicans, in tali materia votum emittit. Nec refert, quod paulò post voti poeniteat; id enim non est signum defuisse sufficientem poenitentiam, quia mutatis circumstantiis facile hominem poenitet etiam eorum, quæ matura deliberatione fecit, ut patet in iis, qui contrahunt Matrimonium, aut alios contractus inveniunt, quos sæpe, vel Matrimonii, vel Contractus iusti paulò post poenitent.

Resolves 2. e contra nullum esse votum emissum in motibus primò primis, nec etiam in secundo primis, in quibus, licet possit esse peccatum veniale ex semiplena deliberatione, nulla tamen est obligatio voti etiam sub veniali, ut docet communis sententia contra Palud. & Navarr. Ratio disparitatis est, quod ad peccatum veniale sufficit quicumque defectus quomodocumque volutus; ad votum autem requiritur perfecta voluntas deliberata se obligandi; quia, cum votum sit lex privata, quam quis sibi imponit, nemo censetur tale jugum velle, nisi ex plena advertentia, plenaque deliberatione habeat plenum dominium suorum actuum, quod cum deficiat in motibus secundo primis, nullum omnino est votum, & proinde nulla voti obligatio. Quid verò agendum in dubio sufficientis deliberationis, seu intentionis, dicemus infra.



ret, honesto ludo ludere, quam ab eo abstinere. Petes, quale sit peccatum votum emittere in casu huius, & precedentis conclusionis? R. 1. Vovere peccatum mortale secundum communem sententiam est peccatum mortale, & quidem duplex, si adsit voluntas exequendi, quod promittitur. Primum ipsa mala voluntas. Alterum gravis iniuria facta, necdum religioni voti, quod praeferitur vinculum iniquitatis gravis; sed etiam ipsi Deo immediate, qui videtur vituperari, & irrideri ex eo, quod offeratur illi ut honorificum, quod summe abhorret, & ipsi essentialiter repugnat. Et propter hanc ultimam rationem existimo, salvo meliori iudicio, contra quosdam esse etiam culpam mortalem vovere veniale tantum; non enim videtur hic admittenda levitas materiae: nisi dicas voventem sic esse stupidum, ut vovendo veniale peccatum non intendat promittere Deo aliquid ipsi gratum, & honorificum. R. 2. Vovere res impossibiles, necessarias, & indifferentes qua tales, non videtur excedere culpam venialem. In tantum enim peccatur, in quantum vovetur materia illegitima; est autem illegitima, non quia mala, & iniuriosa Deo, sed quia non est bona, proindeque videtur tantum culpa levitatis, aut vanitatis.

Hic quaeri posset de voto Iephte; sed de eo in Digressione speciali ad calcem Dissertationis huius.

Dico 5. Votum, ut sit validum, debet esse de bono, patet ex dictis, eoque meliori; non quidem hoc sensu, quod sit melius quocumque alio opere diverso: alias de solo opere omnium praestantissimo valide posset emitti votum, quod est falsum; sufficit enim, quod illud potentia, seu aptitudine, non excludatur; sed hoc sensu, quod melius sit suo contradictorio: nempe melius facere, quam non facere, vel melius non facere, quam facere: sic melius est facere eleemosynam, quam non facere; melius non nubere, quam nubere. Et hoc intelligitur non absolute melius vovere Religionem minus strictam, quam nullam vovere, respectu tamen Religionis, qui iam vovit strictiorem, non est melius. Ratio horum omnium est; quia, ut iam dixi, votum, utpote promissio Deo facta, debet esse illi gratum, alias illud non acceptaret; a quo Deo, *Cujus voluntas est sanctificatio nostra* 1. ad Thessal. 4. non foret acceptum, si quis voto se obligaret ad faciendum id, quod est minus bonum, omissio meliori opposito, aut exclusa aptitudine ad quodcumque aliud melius: ergo. Ex quibus omnibus uno verbo concluditur, votum debere esse de re bona, quae attentis omnibus circumstantiis sit Deo grata.

Hinc colliges 1. Valida esse vota perpetuo peregrinandi ad sancta loca, perpetuo inserviendi infirmis; quia melius est sancte peregrinari, quam non peregrinari; inservire infirmis, quam non inservire. Et licet haec vota excludant actu statum meliorem scilicet Religionis, non tamen potentia, seu aptitudine, sed in illum ex sola voventis voluntate commutari possunt, ut dicam infra. Colliges 2. Invalida esse vota omittendi ea, quae sunt consilia, ut non ingrediendi Religionem, non jejunandi, non mutandi, &c. quia in his opus est Deo gratius, quam ejus omissio, Colliges 3. Invalida esse vota ludendi honeste, comedendi moderate, si cadant supra ipsum lulum, vel commessionem; quia, licet sint actus honesti, illorum & similia abstinentia est melior, Deo gratior, ac majoris virtutis & meriti. Valida autem erunt, si cadant supra honestatem lusus, aut temperantiam commessionis, ita ut sensus sit conditionalis, si lusero, honeste ludam; si comedero, moderate comedam; quae honestas & moderatio indubie sunt meliores suis oppositis. Colliges 4. Invalidum esse votum nunquam vovendi, quia melius est vovere, quam non vovere. Validum erit, si voveas nunquam vovere nisi scripto, vel coram testibus, vel ex consilio Confessarii, quia vovere cum his cautellis, ne indiscrete, & temere voveas, est actus prudentiae melior suo opposito.

At quid, si tale votum transgrediaris, vovendo v. gr. jejunium inconsulto Confessario? Respondeo in hypothese, quod memor sis prioris voti, hoc secundum votum esse peccatum contra Religionem; utpote transgressionem voluntariam prioris voti validi & liciti; est tamen secundum esse validum, sive recorderis prioris voti, sive non, quia est de meliori bono. Per accidens autem, si nempe per prius votum intenderis omnia tua vota in posterum edenda fore nulla, si non facta fuerint cum ista cautela, erit invalidum, nisi hanc priorem voluntatem expresseris, vel tacite revocaveris. Censeberis autem implicite revocare, si memor huius tuae prioris voluntatis nihilominus voveas aliquid.

Colliges 5. non improbabiler a quibusdam suscipi

votum nunquam petendi dispensationem in priori voto esse invalidum; quia probabiliter, posse contingere casum, in quo melius esset petere dispensationem, quam non petere, v. gr. si periclitaretur salus totius Regni, nisi petatur dispensatio in voto castitatis. Sed esto sit validum, manet saltem semper dispensabile; quia vovens sua privata voluntate non potuit praedictare habenti ex Jure, vel privilegio facultatem dispensandi.

Colliges 6. (Quaest. 18. art. 2. ad 3.) Votum non suscipiendi Episcopatum, aut aliam Praelaturam, vel quocumque regimen animarum, nisi obedientia Superioris, publica necessitas, aut lex charitatis aliud exigat, esse validum; quia est de meliori bono: melius est enim homini, & tutius ad humilitatem servandam, variaeque peccandi pericula vitanda, non suscipere tales dignitates, seu onera. Nec refert, quod juxta Apost. 1. Tim. 3. (Ib. a. 1. o. & ad 1.) qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; bonum quidem, sed non melius propter annexam gradus celsitudinem, & pericula: sicut, qui matrimonium appetit, bonum opus appetit, sed non melius. Nec etiam retinet, (Ibid. ad 2.) quod Episcopatus sit status perfectionis, & perfectior statu Religionis: id enim intelligi debet, non formaliter quasi Episcopatus constituit formaliter hominem in statu perfectionis; sed praesuppositivè, quia ob sui eminentiam praesupponit perfectionem in suscipiente.

Colliges 7. Votum de Matrimonio ineundo per se & ordinariè esse invalidum; quia per se non est de meliori bono, cum status continentiae ipsi oppositus, sive in coelibatu, sive in Religione, sive in Ordine Sacro sit melior, teste Apost. 1. Cor. 7. quatenus mirum animum a curis secularibus, & carnis voluptatibus liberum, reddat magis expeditum ad Deo, rebusque Divinis vacandum. Per accidens tamen Matrimonium potest esse materia legitima voti, puta quando foret valde utile Reipublicae, aut Religioni; quando ex ejus omissione sequeretur damnum, aut infamia sponsae defloratae, &c. quia tunc votum foret de meliori bono.

Utrum verò illi, qui ratione gravissimam, & frequentissimam temptationem credit se non posse continere, Matrimonium sit materia legitima voti? R. talem hujusmodi voto non teneri absolute, sed conditionatè tantum, si nempe nolit adhibere remedium efficacius, quod est votum continentiae. Ratio est; quia alias sequeretur, quod, si talis emiserit, aut emitteret votum continentiae, istud foret invalidum, utpote non de meliori bono, cum matrimonium oppositum, de quo esset validum votum, supponeretur melius bonum; atque consequens esse contra communissimam Theologorum sententiam, imò contra veritatem, siquidem in casu posito continentia sit melius bonum, & tota difficultas in ejus voto servando pendeat ex libero voluntatis consensu in peccatum, quem quilibet cum ordinario Dei auxilio cohibere potest, & debet, & (Hic art. 6. ad 1.) ad quem cohibendum jurat maximè votum voluntatem firmans in bono, & devotionem augens. Unde etiam nullus huc usque somnavit, graviter tentatum absolvi voto solemni castitatis, & Ecclesiae praxis probat etiam non absolvi voto simpliciter, quandoquidem solet peti dispensatio, quae non nisi aegre, & sub ardua satis, & difficili commutatione ordinariè conceditur. Obligat ergo dumtaxat votum Matrimonii casu, quo vovens, perseverans in tali statu, & periculo peccandi, nolit adhibere aliud melius remedium, scilicet votum continentiae. Tunc enim currit illud Apost. 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri*, id est, quam fornicari, ut interpretatur SS. Patres.

Quaeritur hic, utrum materia, quae fuit apta voto, si fiat deinceps inepta, utpote, vel non bona, vel impossibilis, maneat obligatio voti?

R. (In 4. d. 38. q. 1. a. 3. quaestio. 1.) Et sit regula generalis: Omne illud, quod ex se votum faciendum irritaret, si praesens esset, etiam voto facto obligationem auferit; unde, cum de re impossibili, aut non bona non possit esse votum, ut dictum est, si aliquid fiat impossibile, aut non bonum post voti emissionem, quod prius erat possibile & bonum, obligatio voti quantum ad illud tollitur, ut si quis dives voverit edificare Ecclesiam, quod postmodum perficere non possit paupertate extrema superveniente, non obligatur ex voto ad implendum.

Sed major est difficultas, utrum, si materia voti sit, aut fiat partim apta, partim inepta, vovens teneatur ad partem aptam, an totaliter liberetur ab obligatione voti? Respondent plerique recentiores Casuistae distinguendo inter materiam indivisibilem, & divisibilem, seu inter eam

quae potest & solet promitti copulatum; & eam quae potest & solet promitti divisim; voluntque, voventem ad nihil teneri in primo casu, in secundo autem teneri ad partem aptam. Et hinc inferunt, eum, qui voverit edificare Ecclesiam, si superveniente paupertate, non possit praeferre totum, non teneri ad partem possibilem; eum, qui voverit jejunare, si non possit abstinere a multiplici refectioe, nec teneri abstinere a carnibus, licet id possit similiter, si non possit abstinere a carnibus, non teneri abstinere a multiplici refectioe, etsi id possit; quia, inquit, tam edificatio Ecclesiae, quam jejunium sunt materiae individuae, quae per modum unius copulatum promitti censentur, & sic in pluribus aliis. E contra, inquit, qui voverit dare mille aureos Ecclesiae, si non possit totum, teneatur ad partem quam potest, quia est materia divisibilis. Qui voverit jejunare tota hebdomada, si id teneatur propter eandem rationem, & sic de ceteris. Fundamentum hujus Sententiae aliud sensu posse admitti censemus, sed ejus applicatio ad casus particulares laxior & improbanda nobis videtur. Unde simpliciter & tutius

R. cum D. Th. (Ib. & hic a. 3. ad 2.) sive materia sit, sive fiat post votum partim tantum inepta, voventem teneri ad partem aptam, nisi constet de contraria ejus intentione, aut de ea suadente praesumatur. Ratio est; quia in tantum eximitur ab executione voti, in quantum est ipsi impossibilis, aut non bona: ergo, si pars maneat possibilis & bona, ad eam teneatur. Hinc facit regula Juris 37. in 6. *Utile per inutile non vultur, si utile ab inutili separari possit*. Confirmatur: Eadem videtur ratio de obligatione voti, ac de obligatione legis; atque, qui non potest totam legem observare, sed tantum partem, ad hanc obligatur. Unde Innocentius XI. condemnavit hanc propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil teneatur*.

Hinc inferes 1. (In 4. loc. cit.) in casu jam posito eum, qui voverit edificare Ecclesiam, si sit tantum factus impotens quoad partem, ad id quod potest, remanere obligatum, ita ut alteri volenti edificare teneatur pro posse succurrere. Inferes 2. qui voverit jejunare & non potest abstinere a carnibus, teneri tamen abstinere a multiplici refectioe, si possit; & e contra, si non possit abstinere a multiplici refectioe, possit tamen abstinere a carnibus, ad id teneri: & sic plerumque dispensante Ecclesia observatur recentiores Casuistae, materiam hanc esse indivisibilem. Inferes 3. (Hic loc. cit.) mulierem, quae voverit castitatem, si postea corrumpatur, debere servare quod potest, scilicet perpetuum continentiam. Similiter, quae post votum castitatis contrahit & consummat matrimonium, quamvis non possit amplius totam castitatem servare, teneri tamen ad id, quod potest, scilicet non petere debium, non etiam reddere, si comparis amittat jus petendi, & a secundis nuptiis abstinere. Inferes 4. eum, qui voverit peregrinationem cum circumstantia superstitiosa, v. gr. cum certo numero candelarum, teneri relicta superstitione ad peregrinationem quoad substantiam; & sic de ceteris.

Dixi: *Nisi constet de contraria intentione voventis, aut de ea fundatè praesumatur*: hoc enim posito, casus praecedentes resolvendi sunt in contrarium; (Hic loc. cit. ad 3.) quia intentio voventis est causa obligationis voti, sicut intentio legislatoris est anima legis. Unde, si mulier, vovendo virginitatem, non intendit vovere abstinentiam ab omnibus veneris, quod ordinariè intelligitur per votum virginitatis, sed tantum conservationem claustrum virginalem, illo semel fracto, ad nihil ulterius teneri. Et principium superioris sententiae Casuistarum in tantum admittimus, in quantum ex illo erui potest intentio voventis.

## ARTICULUS II.

### De obligatione Voti.

#### §. I. Utrum, & quantum obliget Votum?

Dico 1. (A. 3. o.) Omne votum obligat ad sui observantiam. Est contra Sectarios.

Prob. 1. (Ib. in arg. s. c.) ex Scriptura, Ecclesiastae 5. dicitur: *Quodcumque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*. Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, imputabitur tibi in peccatum*. 1. Tim. 5. de viduis, quae votum castitatis superstate nubendi violant,

dicit Apost. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Concinnat SS. Patres Ambr. ad Virg. lapsam c. 5. Aug. de bono viduitatis c. 11.

Prob. ratione. (Ib. o.) Ad fidelitatem pertinet, ut solvat quis quod promissit: unde secundum D. Aug. libr. de Mend. c. 10. Fides dicitur ex hoc, quod sunt dicta; atque maxime debet homo Deo fidelitatem tum ratione dominii, cum ratione beneficii suscepti: ergo maxime obligatur ad hoc, quod impleat vota Deo facta, alias infidelitatis reatum incursumus; & ille Salomon assignans rationem, quare sint vota reddenda, dicit: *Quia displicet Deo infidelis promissio*, Ecclesiastae 5.

Dices: S. Th. hic ad 1. dicit, quod *Ex qualibet promissione homo homini obligatur secundum honestatem tantum*: ergo similiter Deo. R. S. Th. ibi non accipere honestatem, proit excludit obligationem Justitiae naturalis, de illa enim subdit immediate, & haec est obligatio Juris naturalis; sed proit excludit obligationem civilem, qua promittens possit in foro contentioso compelli, quia promissio licet in conscientia coram Deo obliget, non dat tamen semper actionem in judicio contra promittentem. Vide, quae dixi de promissione Dissert. 2. de Contract. a. 1. §. 2.

Dico 2. Obligatio voti est ex genere suo sub peccato mortali. Quia, ut patet ex dictis, est contra fidelitatem, religionem, & reverentiam Deo debitam. Dato enim quod fidelitas solitarie sumpta obliget tantum sub veniali, quando tamen constituitur in materia alterius virtutis obligantis sub mortali, qualiter constituitur per votum in materia Religionis, obligat proportionatè ad materiam illius virtutis, ad quam transit. Confer locum mox cit. de Contract. conclusione 1.

Dico 3. Ut votum in individuo obliget sub mortali, duo simul debent necessario concurrere, nempe gravitas materiae, & voventis intentio se obligandi sub mortali: ita ut si attentis omnibus circumstantiis materia sit levis etiam dato quod esset tota materia voti, & quod vovens intenderet se obligare sub mortali, obliget tantum sub veniali. Et similiter, si materia sit gravis quidem, sed vovens intendat tantum se obligare sub veniali, obligabit etiam tantum sub veniali. Excipit votum solemne.

Prob. 1. pars 1. Omnes Leges tam divinae, quam humanae non obligant sub mortali in materia levi, sive sit partialis, sive totalis materia Legis, ut patet in Lege non mentiendi officiosè: ergo nec votum, quod est quaedam Lex privata, quam quis sibi imponit. Prob. 2. Licet ad quantitatem obligationis in Lege spectanda sit intentio Legislatoris sic, ut ultra illam non extendatur, ab ea sola tamen non dependet, sed etiam ex materiae capacitate, atque materia absolute levis est incapax obligationis sub mortali & reatus aeternae damnationis, quantumvis id intendat Legislator, hoc etenim repugnat infinitae Dei bonitati, nec talem dedit hominibus potestatem, quae magis foret ad perniciem, quam ad salutem: ergo similiter in voto. Confirmatur: Obligatio promissionis pendet, non solum ex intentione promittentis, sed etiam ex acceptatione illius, cui fit; unde dixi supra, votum de re mala, aut indifferenti non obligare, quia non acceptatur a Deo; atque Deus non acceptat promissionem rei levis absolute sub peccato mortali, utpote imprudenter factam, *displecet enim ei stulta promissio*: ergo. Posset tamen talis vovens peccare mortaliter in transgressione voti ex conscientia erronea. Dixi: *in materia absolute levi*; quia, si materia sit secundum se levis, sed ex fine, aut aliis circumstantiis fiat gravis, poterit esse obligatio sub mortali. Porro gravitas, vel levitas materiae aestimatur in voto, sicut in Lege humana.

Prob. 2. pars. Votum, ut iam dixi, est Lex privata, quam quis sibi imponit; atque Lex non obligat ultra intentionem Legislatoris, etiam in materia gravi; ergo. Nec valet disparitas data a Patre Wigant, quod votum fiat Deo ut superiori acquirenti novum jus in voventem. Lex autem feratur in subditum: quia superior non acquirit plus juris, quam ipsi conferat vovens. Confirmatur 1. Actus agentium moralium non operantur ultra intentionem illorum; atque vovens, sicut Legislator, est agens morale: ergo. Confirmatur 2. Vovens potest se obligare ad poenam tantum etiam in materia gravi; ergo & a fortiori ad culpam venialem. Confirmatur 3. Vel possibile est vovere materiam gravem sub veniali obligatione, vel non. Si primum, habemus intentum; si secundum, votum est nullum, utpote de re impossibili.

## Solvuntur Objectiones.

**Obj. 1.** contra 1. partem ultimæ conclusionis. Omne perjurium in materia levi est peccatum mortale; atque juxta D. Th. q. seq. 2. 8. o. majus est vinculum voti, quam juramenti: ergo omnis violatio voti, etiam in re levi, est peccatum mortale. R. 1. N. Conseq. Ideo enim juxta S. Th. vinculum voti est fortius vinculo juramenti, quia votum obligat ex fidelitate, juramentum ex reverentia, omnis autem infidelitas involvit irreverentiam, non e contra omnis irreverentia involvit infidelitatem, sed alia est irreverentia, quæ committitur in violatione voti, alia, quæ committitur in violatione juramenti. Prima oritur ex infidelitate, quæ admittit levitatem materiæ; est enim parum irreverens, qui in re levi est infidelis; altera sita est in hoc, quod Deus assumatur in testem falsi, quod in quavis materia est graviter Deo injuriosum. Insuper S. Th. loquitur de juramento promissorio, quod probabiliter admittit levitatem materiæ, ut dicam infra.

**Obj. 2.** contra eandem. Ex nostra Sententia sequitur, quod, qui vovit recitare quotidie semel *Pater & Ave*, nunquam peccaret mortaliter, etiam si per totum annum & amplius omitteret; atqui id videtur absurdum: ergo. R. N. Minorem cum Soto contra Sylvium. Non enim id magis videtur absurdum, quam eum non peccare mortaliter, qui quotidie omitteret versiculum in recitatione Horarum: utriusque enim obligatio est affixa diei, & transgressio unius non coalescit cum altera; secus autem, si votum tuum non sit affixum diei, ut si voveas recitare per annum 356. *Pater*. Sed quid, si quis vovens uno actu plura disparata propter eundem finem, v. gr. preces, jejunium, eleemosynam pro obtinenda castitate, si omitendo pauca ex omnibus deveniat ad materiam gravem, peccabit mortaliter? Videtur respondendum affirmativè; quia censetur partes ejusdem voti: secus, si diversis actibus, aut eodem actu, sed ob diversos fines, illa vovisset; tunc enim censentur diversa vota.

**Obj. 3.** contra eandem. Violatio voti est contra Religionem, quæ est virtus excellentissima: ergo est semper peccatum mortale. R. N. Conseq. licet enim Religio sit virtus excellentissima, non tamen omne peccatum contra illam est mortale, sed sunt diversi gradus pro rei gravitate vel levitate: sic in omissione Horarum, in sacrificio &c. datur paritas materiæ, quamvis sint contra Religionem.

**Obj. 4.** contra 2. partem cum Wigant: Licet sit in potestate hominis vivere, vel non vivere, attamen supposito quod voveat, quantitas obligationis dependet ex quantitate objecti secundum se, quod ab intentione hominis non dependet, sicut a pari patet de indissolubilitate matrimonii: ergo. R. N. Ant. quod gratis omnino asseritur & cujus falsitas patet ex probat. Conclusionis: quoad paritatem verò de indissolubilitate matrimonii, disparitas est; quod matrimonium ex institutione sua sit indissolubile, atque adeo omnis contrahens debet illud contrahere ut tale (alias erit nullum) non sic de voto.

**Obj. 5.** cum eodem: Licet de essentia voti in communi non sit obligatio sub mortali, est tamen effectus inseparabilis a voto, si sit in tali materia nempe gravi: ergo. R. Iterum istud antecedens gratis omnino fingi, ideoque absolute negandum.

**Obj. 6.** cum eodem: Ex nostra sententia sequitur, esse in potestate emittentis vota solemnia, se solum obligare sub veniali, quod est absurdum & contra praxim Ecclesie: ergo. R. N. sequelam; quia votum solemnne utpotè statum mutans institutum est sub peccati mortalis obligatione; adeoque vovens tenetur intentionem suam conformare intentioni Ecclesie per Prelatum votum acceptantis, alias erit nullum, ut dictum est de matrimonio indissolubili; non sic votum simplex; unde in conclusione exceptum volui votum solemnne. Adde, quod tam votum solemnne, quam matrimonium sint actus utriusque onerosi, in quo cum Religio proficiens, & sponsa sponso se obligent graviter, & jure proficiens & sponsus debent se illis graviter obligare, ut servetur æqualitas; non sic votum simplex.

**Obj. 7.** Vovens non potest se obligare sub mortali in materia levi, ut dictum est: ergo a pari nec sub veniali in materia gravi. R. N. Conseq. Disparitas est, quod materia levis non sit capax gravis obligationis; materia verò gravis, sicut potest esse absque omni obligatione, sic est capax levis obligationis: paritas est in legibus humanis.

Petes, utrum omnes transgressiones votorum sint ejus-

dem speciei? R. Videri quod sic, utpotè oppositæ uni & eidem virtuti Religionis, sicut omnisio sacri v. gr. & omisio jejunii, utriusque voti promissi, non sunt duo peccata specie distincta, sed numero tantum. Nec refert, quod transgressiones preceptorum Ecclesie specie differant; disparitas est enim, quod Ecclesia præcipiat actum ex motivo talis virtutis, cujus est actus præceptus, & ideo ad ejus speciem transfert v. gr. jejunium ad speciem Temperantiae: vovens autem, quicquid voveat, se obligat tantum vi voti ex virtute Religionis: imò, quamvis intenderet se obligare ex motivo alterius virtutis, puta Temperantiae, vovendo jejunium, nihil efficeret, nec ideo frangendo illud præcisè peccaret contra Temperantiam, quam non potest vovendo vi voti se obligare ad aliud, quàm votum ipsum ex natura sua obliget: sicut e contra promittendo homini non potest se obligare ad virtutem Religionis, quia promissio facta homini tale vinculum non inducit: unde, si natura voti appetenda sit in confessione, id non erit ratione speciei distinctæ, sed fortè ratione circumstantiæ notabiliter aggravantis.

Ex dictis, præsertim in ultima conclusione, manifestum est obligationem voti maxime pendere ex intentione vovens, & juxta illam æstimandam esse; ex quo resolves plures casus in praxi. Sit primus casus: (*Hic a. 3. ad 2.*) qui vovit Religionem ingredi principaliter, ex consequenti autem elegit hanc Religionem, vel hunc locum quasi sibi magis congruentem: tenetur, si non potest ibi recipi, aliam Religionem intrare; aut saltem tentare alia, sive ejusdem, sive alterius Ordinis Monasteria, tali numero, tali distantia, & diligentia, ut prudentis judicio censetur sufficere; non enim tenetur omnia & maxime distantia tentare, quia non præsumitur id intendisse: si autem principaliter intendit se obligare ad hanc Religionem, vel ad hunc locum, non tenetur aliam Religionem intrare, si illuc admitti non possit: imò casu quo posset admitti in Laicum, non tenetur intrare, si ex conditione persone & aliis circumstantiis appareat talem statum non intendisse in voto.

Petes 1. an, qui vovit ingredi Religionem, satisfaciat voto, ingrediendo Religionem, in qua dissoluitur vivitur? R. Si Religionem indehinitè voverit, & in ea, quam ingreditur, essentialia Religionis adhuc serventur, licet aliunde regularis observantia non vigeat, satisfacti; si verò non serventur amplius essentialia Religionis, non satisfacti, & tenetur aliam ingredi. Quod si vovendo suam intentionem restrinxerit ad eam, in qua essentialia Religionis non servantur, ad nihil tenetur; quia tale votum est nullum, utpotè de re non bona.

Petes 2. Utrum, qui proficitur Religionem in aliquo Monasterio, ubi regularis observantia non vigeat, si dum vovet vivere secundum regulam S. Augustini, vel S. Benedicti restringat suam intentionem ad observantiam Regule, qualiter vigeat in dicto Monasterio, & non aliter, teneatur ad exactam regulæ observantiam reverè restringerit, non videtur ad arctiorem obligati: quia tota obligatio nascitur ex intentione se obligandi; quæ est essentialis voto, ut dictum est supra. Si autem simpliciter & absolute professi sunt vivere secundum Regulam, proit communitè fieri solet, & factum præsumitur in foro exteriori, nisi constet de contrario, sed intentionem exequendi restrinxerit ad eam observantiam tantum, quæ ibi vigeat, proponendo apud se vivere ut alii vivunt, tenetur ad arctiorem & exactam Regulæ observantiam; quia, ut etiam supra dictum est, voluntas, seu intentio non adimplendi votum non est voto essentialis, nec ejus obligationem tollit.

Attamen quantum ad accidentarias observantias, quæ, indulgentie superiori ad id legitimam potestatem habent, prætermittuntur, videntur excusandi, aut saltem non graviter culpandi, qui eas omittunt, modo sint animo parati acceptare reformationem & exactam Regulæ observantiam, si ipsos ad eam reducere vellet superior: quia, juxta S. Th. (*In 2. ult. a. 1. & quodl. 10. a. 10.*) Regulares tenentur obedire suis Prelatis in omnibus, quæ pertinent ad Regulam. Censentur autem juxta eundem ibidem pertinere ad Regulam, non solum ea, quæ sunt expressè in Regula, sed etiam ea, quæ ad Regulam reducuntur, ut sunt ea, quæ pertinent ad obsequium fraternæ charitatis, sine qua status Religionis subsistere non potest, ad punitionem culpæ, & ad commodiorem & puriorem Regulæ observantiam, ut est clausura respectu Monialium. Hæc tamen intellige sistendo intra limites Regule, & juxta jusjuramentum Ordinis institutum. Non enim posset Prelatus præcipere graviore austeritates, sive jejuniorum, sive si-

len-

lentis, sive macerationum, &c. quæ in quibusdam aliis Ordinibus servantur, neque Monachos ad vitam activam, aut Mendicantes ad solam contemplationem adigere.

Secundus casus: Qui vovit ingredi Religionem, non tenetur vi voti servare castitatem; sicut qui vovit suscipere Sacros Ordines, non tenetur recitare Horas Canonicas; nec qui vovit simpliciter non nubere, tenetur ex voto castè vivere; quia eò usque non se extendit intentio sic vovens. Tertius: Qui vovit Confessionem & Communionem pro gratia Jubilæi, aut Indulgentiarum consequenda, si Jubilæum, aut Indulgentias lucrari non possit, non tenetur ad Confessionem & Communionem; accessorium enim sequitur principale, & ruente principali, ruit accessorium. Quartus: Quando executio voti sit notabiliter difficilior, votum totum corrumpit, ut si voveas peregrinari equo ad limina S. Petri, & non possis equo, aut curru incedere, non teneris ire pedibus, quia præsumis id non intendisse. Quintus: Si vovens non possit per se adimplere votum, non tenetur implere per alium, nisi sic intenderit, aut nisi sit votum reale, v. gr. vovisti peregrinari ad limina S. Petri, factus præ morbo impotens non teneris alium mittere: vovisti illic offerre Lampadem argenteam, teneris per te vel per alium offerre. Horum omnium ratio est; quia in his & aliis similibus talis est aperta, vel saltem fundatè præsumpta intentio vovens.

## §. II. De tempore obligationis Voti.

**C**ertum est, votum negativum, v. gr. non frequentandi popinas, non indendi, &c. obligare ad statim; quia ad instar præcepti negativi obligat semper & pro semper: neque de hoc est questio, sed de voto affirmativo. Unde

Dico 1. Votum obligat tempore determinato a vovente (*Hic art. 3. ad 3.*) Quia obligatio voti ex propria voluntate & intentione causatur, ut jam sæpius dictum est. Unde dicitur Deut. 23. *Quod semel egressus est de labiis tuis, observabis, & factus, sicut promissisti Domino Deo, & propria voluntate & ore tuo loquutus es.*

Petes 1. An, qui non adimplet votum tempore determinato, liberetur ab obligatione voti? R. Sub distinctione: si designavit tempus ut terminum obligationis, quod censetur fieri, vel quando res promissa est onus affixum tali tempori, vel quando designatur tempus ratione sui, puta propter specialem devotionem talis temporis, aut propter aliquam connexionem cum tali tempore; omissis votum tempore sic determinato peccat quidem graviter, vel leviter pro ratione materiæ, sed extincta manet obligatio voti. Quia tunc, vel intenditur principaliter tempus, vel vovetur copulativè per modum unius cum re promissa tanquam circumstantia voto intrinseca, & sic, cum hoc tempore transacto impossibile sit adimplere votum cum illa circumstantia, totaliter cessat obligatio voti. Si verò designavit tempus non ut terminum obligationis, sed potius ad eam urgendam, & ne ultra differatur; quod censetur fieri, quando res promissa non est onus affixum tali tempori, vel quando tempus non designatur ratione sui, sed sola ratione voti adimplendi; tunc omisso voto tempore sic determinato remanet obligatio illud adimplendi quamprimum commode fieri potest, & omittens peccat graviter, vel leviter pro ratione materiæ & dilationis (dilatationem autem unius, vel alterius diei potè levem.) Ratio est; quia tunc neque principaliter intenditur temporis circumstantia, neque cum re promissa vovetur copulativè per modum unius, sed per modum duorum, siveque virtualiter quasi duo vota, scilicet talis rei faciendæ, & ultra illud tempus non differenda; sicut, licet tempore transacto impossibile sit eam circumstantiam temporis servare, remanet tamen obligatio rei promissæ principaliter.

Hinc inferes 1. Eum, qui vovit recitare Rosarium die Assumptionis in honorem B. Virginis, jejunare proxima feria sexta in honorem Passionis, si omittat, sive culpabiliter, sive inculpabiliter satisfacere voto, tali tempore, non eo amplius tenetur; quia tempus hoc principaliter intendit, & huic re promissam affixit, sicut censetur designasse ut terminum obligationis. Similiter, qui vovit quotidie recitare Rosarium, si omittat uno die, non tenetur sequenti die duo recitare: qui vovit jejunare semel in hebdomada per annum, si omittat jejunare una hebdomada, non tenetur his jejunare hebdomada sequenti: qui vovit jejunare singulis feriis feris hujus anni, si omittat, non tenetur supplere sequenti anno; quia in his & similibus votis res promissa affigitur tali diei, tali hebdomadæ, tali anno, ut onus ejus, sicut hoc tempus

censetur determinatum ut terminus obligationis.

Inferes 2. e contra, eum, qui vovit intra annum ingredi Religionem, jejunare sequenti hebdomada, confiteri sequenti mense, &c. hoc tempore elapso adhuc voto teneri; quia in his & similibus non intenditur tempus principaliter & ratione sui, neque res promissa illi ut onus proprium affigitur; sicut non censetur designatum tempus ut terminus obligationis, sed ne ultra differatur voti executio.

Petes 2. Utrum, qui prævidet fore, ut non possit adimplere votum tempore designato, tenetur prævenire? R. Si designavit tempus ratione ipsius temporis, ita ut illi sit opus affixum, ut si vovit jejunare in Vigilia S. Apollonie ob dolorem dentium, certum est, non teneri prævenire; quia autè tale tempus non currit obligatio voti, sicut non currit præceptum jejunii ante Quadragesimam. Si tamen vovisset facere aliquid intra certum tempus, v. gr. jejunare intra septimanam, confiteri intra mensem, licet non tenetur septimanam, aut mensem prævenire, tenetur tamen intra tale tempus prævenire, si prævidet impedimentum in fine septimane, aut mensis; quia obligatio cadit in totam latitudinem septimane, aut mensis: sicut, qui prævidet impedimentum audiendi Sacrum in die Festo hora duodecima, tenetur prius audire. Si tandem tempus designavit præcisè, ut ultra non differatur voti impletio, ut si penitentia ductus voveat confiteri proximo die Festo, Religionem ingredi in fine anni, quidam existimant, eum non teneri prævenire, sed tantum postea adimplere; quia autè tale tempus non urget obligatio voti. Alii tamen volunt eum teneri prævenire; quia, licet nondum adveniret tempus explicitè determinatum voti adimplendi, adest tamen tempus determinatum implicitè; qui enim vovit confiteri proximo die Festo præcisè, ne ulterius protrahatur Confessio, censetur, casu quo non posset tali die confiteri, vovisse implicitè anticipationem tamquam medium omnino necessarium, ut ulterius non protrahatur opus voto promissum. Utraque sententia est probabilis: primam tamen puto communiorem in praxi, eamque esse mentem voventium, qui plerumque non existimant, se voto teneri ante tempus determinatum, quovis modo determinaverint.

Dico 2. Quando voto nullum est tempus determinatum, obligat quamprimum moraliter & commode adimpleri potest. Prob. 1. ex Scriptura (*Ibid.*) Deut. 23. dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: ergo.*

2. Ratione. Hoc est commune omni promissioni absolute, ut statim obligationem pariat, & consequenter statim exigi possit; atqui ex Scriptura citata constat Deum statim exigere solutionem voti sibi facti: ergo, &c. Confirmatur. Si tale votum non obligaret quamprimum moraliter & commode fieri potest, non posset assignari tempus, quo obligaret; non enim esset ratio major pro uno tempore, quam pro altero, & tamen certum est obligare aliquando: ergo quamprimum, &c. Dixi: *Quamprimum moraliter & commode, &c.*; quia talis præsumitur intentio vovens, sicut fit etiam in aliis promissionibus: & ideo in Jure Ly *Statim* patitur aliquam temporis latitudinem ff. l. 46. tit. 3. ubi dicitur: *Statim solvere, cum aliquo temporis temperamento intelligendum est.*

Hinc inferes 1. ubi nullum est voto tempus præfixum, eum non peccare, qui Rosarium, jejunium, &c. differt ad duos, aut tres dies, peregrinationem quinque, aut sex leucarum ad septimanam, peregrinationem ad limina S. Petri ad aliquot menses, & sic proportionatè ad materiam; quia, ut dictum est, talis præsumitur intentio vovens, ac *Tò Statim* admittit latitudinem. Inferes 2. eum non peccare, qui votum, ubi nullum est tempus determinatum, differt sub spe fundata illud commodiùs, utilius, & præsertim devotius adimplendi; ut si vovit peregrinationem ad aliquam *Adem* sacram, & expectet supplicationem publicam, quæ illic fieri debet: si vovit ingredi Religionem, & expectet, donec ætate, viribus, aut doctrina convalescat, ad munia Religionis aptior futurus. Inferes 3. quod, ubi limites justæ dilationis sine causa aliquantulum exceduntur, sit peccatum veniale; ubi graviter, peccatum mortale. Adverte autem, quod in votis, quæ nullam ex temporis lapsu patiuntur diminutionem, v. gr. Rosarium, jejunium, peregrinatio, majorem requirit dilationem ad peccatum mortale, & minorem causam, ut licet differatur, quam in his, quæ patiuntur diminutionem ex lapsu temporis, ut est v. gr. ingressus Religionis, quo enim magis differatur, minus in ea vivitur. Inferes 4. eum pec-

ca-

care moraliter, qui ita differt, ut incurrat periculum omnino omittendi votum, sive propter oblivionem, sive propter impedimentum futurum, puta senium.

Finaliter quidam Auctores sic resolvunt: in votis, quae patiuntur diminutionem ex dilatione temporis, standum est iudicio prudentum pro determinanda gravitate, vel levitate dilationis: in aliis autem votis, quae nullam ex dilatione patiuntur diminutionem, secluso, ut dictum est, periculo omnimodae omissionis, quantalibet dilatio etiam sine causa non excedit culpam venialem; quia, inquit, cum quis dat totum quod promisit, & nullum damnatum ex mora promissario obvenit, non videtur damnandus gravis culpa, sed levis negligentia. At in casu posito sic est de vovente respectu Dei: ergo. Addunt, quod, ubi vovens nullum suo voto determinatum se graviter obligare voluisse, licet intelligat non debere sine labe alicujus negligentiae diutius differre. Et sic intelligunt verba Scripturae prius laudata: *Ne tardes reddere: & si moratus fueris, reputabitur in peccatum; nempè mortale, si tempus sit determinatum, aut ex dilatione incurrat periculum omissionis; veniale autem, sit tempus non sit determinatum, & absit tale periculum. Haec sententia est mihi probabilis, & obviat multis scrupulis.*

Petes, quodnam ex votis impossibilibus obliget? R. Si utrumque sit de re aequae bona & grata Deo, prius emissum tenet, & secundum est nullum, utpote de re impossibili. At, si secundum est manifeste melius & gratius Deo, tenet, primo irritato; quia, licet votum non debeat esse de opere praestantissimo, non debet tamen esse illius impedivum, ut dictum est; unde remanet semper facultas penes voventem illum commutandi in manifeste melius, & id censetur facere per secundum votum, sive sit memor prioris, sive non. Unde, qui volisset peregrinari toto tempore. Quadragesimae, si postea vovent toto hoc tempore inservire aegrotis, aut vacare concionibus & confessionibus, hoc secundo voto tenetur. Quod si sit dubium, quodnam sit melius, servandum est primum; quia non extinguitur nisi per manifeste melius.

### §. III. Qualiter votum dubium obliget?

**N**Ota; vel est dubium de ipsa voti substantia, aut ejus essentialibus, nempè intentione, deliberatione sufficienti, an quis vovent, an habuerit intentionem & deliberationem sufficientem ad validitatem voti? vel, supposito voto certo, dubium est de ejus accidentibus, scilicet qualitate, quantitate, numero &c. quid nempè, quale, quot, quantum quis promiserit.

Dico 1. Ubi dubitatur de ipsa voti substantia, aut de ejus essentialibus; an Titius v. gr. vovent, an verba voti proferendo habuerit intentionem & deliberationem sufficientem ad validitatem voti, si omnibus utrinque mature perpensis remaneat adhuc verum dubium, remanet obligatio voti, teneturque partem tutiorem eligere, ne so discrimini committat; quia, ut docetur, dum de probabilitate, in verè dubiis tutior pars est eligenda. Si verò ex aliquibus circumstantiis praesumptio haberi possit, aut non vovisse, aut defuisse intentionem, vel deliberationem necessariam, nulla est obligatio voti; quia tunc probabilis est nullum esse votum: licet autem sequi sententiam probabiliorum, ut loco citato dicitur.

Hinc inferes 1. Dubitantem de intentione requisita, sed certum se ore, vel mente protulisse verba, votum, seu veram promissionem significantia v. gr. *Promitto Deo & B. Virgini servare castitatem* &c. voto teneri; quia jure praesumitur proferentem verba promissionis habuisse intentionem promittendi & se obligandi, nisi constet de opposito; nullus enim praesumitur dicere, quod in corde non habet, nisi aliunde probetur oppositum. Si verò verba solum propositum significantia protulerit, v. gr. *Domine Deus in tui honorem volo facere, vel illud, & dubiet de intentione, non videtur voto teneri; quia pari jure nullus praesumitur plus habere in corde, quam ore, vel mente profert, nisi probetur oppositum. Excipe tamen, nisi haec, aut similia verba enuntiet per modum pacti, v. gr. *Domine Deus, si sanitatem restitutas, dabo hanc elemosynam, salva me ex tali periculo, & ingrediar Religionem*: Haec enim & similia cum pactum importent, idem significant ac *Promitto*, verasque promissiones continent, non secus ac contractus illi innominati, *Faciam, ut facias: dabo, ut des*.*

Inferes 2. Eum, qui paulo post factum dubitat, an vovent, an in verbis prolatis quibuscumque voluerit pro-

mittere, aut tantum proponere, non teneri voto; non quia stat possessio pro libertate, ut quidam opinantur, sed quia eorum, quae facta sunt cum voluntate plene deliberata & maturo iudicio, non solent homines tam facile & tam cito oblivisci: unde in casu posito praesumptio est, aut non vovisse, aut non adfuisse sufficientem intentionem ad votum. Inferes 3. Moventem ex passione terroris, ira &c. & hac tantum de causa dubitantem de sufficienti deliberatione, plerumque teneri voto; quia non solent hujusmodi passiones iram rationis iudicium obnubilare, ut non advertat homo, quid agat.

Si vero dubitet de sufficienti deliberatione propter defectum aetatis, sic distinguunt communiter Doctores, ut qui post septimum annum vovent, praesumatur sufficienter deliberasse, adeoque teneri voto; secus, si ante septimum. Quod si dubium sit de ipsa aetate, cum rarum sit vota emitti ante septimum aetatis annum, ex communiter accidentibus praesumi potest post hanc aetatem emissum fuisse votum, ideoque stare.

Dico 2. Ubi certum est de voto, sed dubium de ejus accidentibus, quid, quale, quot, quantum intenderit promittere vovens, colligenda est ejus intentio ex sequentibus. 1. Ex communiter accidentibus, sic ut censetur intendisse id, quod communiter fit, aut promittitur in tali genere; id enim praesumitur jure in dubio. 2. Ex conditione & natura materiae, sic, ut votum obliget eo modo, quo lex Ecclesiastica obligaret in tali materia; quia jure praesumitur vovens sic intendisse. 3. Ex verbis, quibus usus est voventis, & ex eorum significatione communiter recepta; quia praesumptio est, ipsam verba menti conformasse.

Hinc inferes 1. Voventem jejunare in Vigilia Purificationis, si incidat in feriam secundam, posse & debere jejunare Sabbato praecedente: voventem jejunare quotidie per annum, non teneri jejunare diebus Dominicis; teneri tamen abstinere a carnibus; quia sic observatur & obligat lex Ecclesiastica de jejunio, sique praesumitur vovens vovisse, ubi certa non apparet ejus intentio in contrarium. 2. Voventem recitare Psalterium, aut Rosarium, teneri attentè & devotè recitare, & posse cum socio; quia sic obligat & est in usu lex Ecclesiastica de ista materia. 3. Voventem dare Calicem debere dare aureum, aut argenteum, non stanneum aut aeneum; quia non iste, sed ille est in usu communiter. 4. Voventem dare elemosynam indeterminate, teneri dare quam solet, aut quam homines ejusdem conditionis dare solent.

5. Voventem virginitatem teneri ad perpetuum castitatem, ita ut violato semel sigillo teneatur adhuc castè vivere; quia haec verba, *voto virginitatem*, idem significant juxta vulgarem acceptionem, ac *voto castitatem*, sique adeo praesumitur intendisse vovens, ubi de contraria ejus intentione non constat.

### §. IV. Utrum obligatio voti possit ad alios transire?

**P**raesupponenda est distinctio voti in personale, reale, & mixtum. Personale est promissio actionis a vovente exercendae, ut jejunandi, peregrinandi, orandi &c. Reale est promissio alicujus rei dandae, ut elemosynae. Mixtum est promissio utriusque, v. gr. peregrinandi ad S. Hubertum, & illic offerendi cornu argenteum, propriis sumptibus militandi pro Terra Sancta &c.

Dico 1. Cujusvis voti, sive Personalis, sive Realis, sive Mixti, obligatio, sic est Personalis & propria voventi, ut ad alium transire non possit. Quia, ut jam saepe dictum est ex S. Th. obligatio voti debet oriri ex propria voluntate, adeoque votum, qualecumque sit, alium obligare non potest nisi ipsum voventem, & ideo dicit Psalmista Ps. 65. *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea*.

Hinc inferes 1. Amicum, qui amico, maritum, qui uxori promittit votum illius exequi, item & filium heredem patris, non teneri illorum vota exequi vi voti ex virtute Religionis, sed ex fidelitate tantum, aut justitia, ratione scilicet, vel promissionis factae, vel hereditatis initae: nisi forte promittens formalem voti obligationem in se suscipiat, & sic virtualiter Deo promittat se voto alterius satisfacturum, quod rarum est. Inferes 2. Nullum posse votum factum alterius, quantumvis conjuncti: unde filii non tenentur voto parentum; & parentes satisfaciunt, si conentur prudenter & sine vi filios inducere ad voti impletionem, ut jam ante dictum est; id enim solum promissio censendi sunt. Similiter, dum Communitas v. gr. Monasterium, aut Civitas se voto adstrinxerit, puta ad jejunium, ad peregrinationem, successores ad id non adstringuntur vi voti, sed vi statuti, aut consuetudinis vim leg-

gis habitentis. Inferes 3. Neminem posse, nec etiam teneri satisfacere per alium voto suo personali, v. gr. orandi, jejunandi, in casu quo ad id fiat impotens, sive ex culpa, sive non; quia factum proprium promissit, non alienum. Inferes 4. Votum reale quoad ministerium, seu executionem posse impleri per alium: quoad substantiam vero rei promissa non posse adimpleri nisi de re propria voventi: v. gr. voventi elemosynam, potes illam erogare per te, vel per famulum, perinde est; modò tamen sit de tuo, quia sicut factum alienum promittere non potuisti, ita nec rem alienam: & sic praepaupertate factus sis impotens, non teneris rogare alios, ut pro te satisficiant, aut ea de causa mendicare, si mendicatus non sis assuetus; quia non censeris id promississe. Non est tamen improbabile, quòd, si alius tuo nomine & tui voti adimplendi gratia elemosyna conferat, tuo voto satisficias; quia perinde est, ac si tibi pecuniam erogandam daret; ita ut elemosynam censeris possit facta de tuo: sicut, si quis debita tua tuo nomine solvat, satisfacias.

Dico 2. Haeredes tenentur ex justitia ratione hereditatis ad omnia vota defuncti realia, & mixta, qua parte sunt realia, si reale non sit accessorium personalis, non vero ad personalia. Ratio est; quia haeres succedit defuncto in omnibus rebus, sive commodis & privilegiis, sive oneribus & obligationibus, quibus annumeratur votum reale, l. *Heredem ff. de Regulis Juris*, non vero personalibus, sive commodis, sive obligationibus & oneribus, quale est votum personale: nisi forte haeres necessarius spontè susceperit obligationem voti adimplendi, aut haeres non necessarius sub ea conditione sit institutus.

Dixi: *Si in mixtis reale non sit accessorium personalis*: si enim sit accessorium, ad illud haeres non tenetur magis quam ad personale; quia accessorium sequitur principale, & ubi cessat obligatio ad principale, cessat ad accessorium, sic, ut ipsemet vovens non teneretur ad accessorium, si respectu illius cessaret obligatio principalis. Si itaque defunctus votit peregrinationem ad limina S. Petri, haeres non tenetur ad sumptos peregrinationis, nisi forte vovisset hanc peregrinationem per se, vel per alium faciendam.

Ex dictis inferes 1. Quòd, si defunctus vovent dare elemosynam pauperibus, calicem Ecclesiae, ad id tenetur ejus haeres; si peregrinationem cum obligatione calicis, ad obligationem calicis, non ad peregrinationem, tenetur haeres. Inferes 2. Quòd, si haeres nolit adire hereditatem, ad nihil tenetur, quia ista obligatio est annexa hereditati. Quòd si adeat hereditatem sic, ut teneatur solvere debita defuncti ultra vires hereditatis, pariter tenetur ad ejus vota, quae sunt etiam debita: si autem non sic adeat hereditatem, non tenetur ad vota defuncti ultra vires hereditatis, adeo ut si solutus expensis funerum & aliis debitis, nihil superstit, ad nihil tenetur; non enim vota debent solvi ex aere alieno, sed voventis. Praefertur tamen debent vota legatis, quia haec sunt libera & gratiosa, illa obligatoria. Inferes 3. Haeredes non teneri ad vota defuncti emissa per ejus testamentum, si & quantum gravaturo legitima: quia ex Jure L. 32. cod. *De inofficioso Testamento*, Libr. 3. tit. 28. omnia gravamina bonis a testatore apposta in praedictum legitime nullius sunt roboris. Secus autem de votis extra testamentum factis; quia, sicut Parentes, dum vivunt, domi elemosynas, contractibus, &c. legitimam successorum aliquantulum minuire possunt, ita & votis; & consequenter ad illa, non secus ad alia debita, tenentur haeredes.

### ARTICULUS IV.

*Utrum expediat aliquid votum, sique magis meritorium & laudabile facere aliquid ex voto, quam sine voto?*

**D**ico 1. (*Hic art. 4. o.*) Expediit votum secundum se. Quia per votum firmat voluntas nostra ad id, quod expedit facere, nempè ad faciendum aliquid, quod cedat in cultum & honorem Dei, & nostram utilitatem spiritualem. Unde Scriptura vota commendat Ps. 75. *Vovete & reddite Domino Deo vestro*. Isaia 19. *Cognoscent Aegyptii, id est, gentes convertendae tempore novi Testamenti* Dominum, & colent eum in hostiis & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & solvent.

Dices 1. Nullus debet se periculo adjicere; atqui quicumque votet, se periculo injicit, quia, quod ante votum poterat sine periculo praeteriri, si non servetur votum, periculum est: ergo. R. D. Majorem: (*Ibid. ad 2.*) Nullus debet se periculo injicere, si periculum nascatur ex ipso facto, puta quòd aliquis per pontem ruinosis trans-

seat fluvium, C. Majorem: Si periculum nascatur ex eventu, aut ex inconstancia hominis, N. Majorem, alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quae etiam per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Unde dicitur Eccl. 11. *Qui observat ventum, non seminabit; & qui considerat nubes, nonquam metet*. Periculum autem voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat transgrediens votum. Taceat tamen, prudentè, & non temerè emittenda esse vota, unde dixi in Conclus. *Esse expediens votum secundum se*, qui aliquando per accidens & attentis circumstantiis non expedit. Unde, qui vis votum, consulte Confessarium, aut alium virum prudentem.

Dices 2. Apost. 1. Cor. 2. dicit, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christus*; sed non legitur Christum, aut Apostolos aliquid vovisse: ergo. R. Quoad Christum, (*Ibid. ad 3.*) quòd secundum aliquas rationes non competeat ei votum, quia nempè Deus erat, & in quantum homo habebat firmatam voluntatem in bono, quasi comprehensor existens: (*In Psal. 21.*) secundum verò alias rationes ipsi competeat votum, quia nempè votum esse actus Religionis, & opus ex voto factum plus honoris Deo exhibet, quam sine voto factum, ut modo dicam; & ideo votum fecit Christus, ut se direct pro salute fidelium. Quoad Apostolos: (*Hic ad 3.*) intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quòd Christum relicto omnibus sunt secuti.

Ex dictis colliges, non minus insulse, quam imple sensisse Calvinum l. 4. Instit. c. 13. & Lutherum, *De libertate Christiana*, vota, quae sunt de rebus non preceptis ex motivo colendi Deum esse illicita & impia; licita verò, si fiant ex alio motivo, puta vitandi peccati, aut utilitatis alicujus temporalis. Ex quo inferunt, vota Religiosorum & Monialium esse impia & irrita, Sanctosque Dominicum, Franciscum, Bernardum, & alios esse damnatos, nisi forte vota emiserint, aut indixerint causam commoditatis alicujus, puta ut essent liberi ab uxoribus, liberorum & rerum temporalium molestiis, non Divini Cultus studiosi: quasi verò non possimus, nec debeamus omnia in Dei gloriam & honorem facere juxta Apost. & votum ipsum non sit essentialiter & inseparabiliter cultus Dei. Ut quid enim promittis Deo, non levandae ejus inopiae, aut utilitatis ipsi conferendae causa, sed ipsum colendi & gratum ipsi obsequium reddendi: id inquam voto esse essentialia, testatur omnium Nationum sensus. Et mirum sanè esset, te promittere Deo servare jejunium, ut parcas sumptibus; & non posse, ut carnis maceratione Deo placeas.

Nec obstat, quod opponunt haeretici, scilicet usurpationem cultum Dei id, quod Deus non praecipit, esse cultum voluntarium, quem Apost. reprehendit ut superstitiosum, ad Coloss. c. 2. sub finem. Non enim damnat ibi Apostolus cultum ex voto de rebus bonis non preceptis; sed cultum, qui vel redditur Angelis, qualem Platonini & Simon Magus ipsis deferebant; vel vero Deo quidem, sed in materia indebita, ut in abstinentia a cibis quatuor ex natura sua malis, vel vi legis veteris: videatur textus satis obscurus cum Interpretibus.

Ceterum hujusmodi votorum exempla habemus passim in Scripturis; Jacob vovit Deo Decimas, quas non praecipit Deus. Genes. 28. David vovit adificare Templum Ps. 131. Vota omnia, de quibus agit Levit. 27. & Deuteronom. 1. 2. 13. sunt de rebus non preceptis, nec tamè superstitiosa. Et sanè, si facere, quod Christus & post ipsum Apostoli faciendum consulerunt, superstitiosis non sit culpandum, cur illud votum superstitiosum erit?

Dico 2. Opus ex voto factum melius est & magis meritorium, quam sine voto factum. Prob. 1. (*Hic a. 6. o.*) Voveri est actus Religionis, & consequenter opus voto promissum, v. gr. jejunium, quod secundum se est tantum virtutis Temperantiae, si fiat ex voto, ad ipsam Religionem ut imperantem etiam pertinet; atqui ceteris paribus opus nobilioris virtutis est melius & magis meritorium: ergo. 2. Qui aliquid vovit & facit (*Ibid.*) plus se subjicit Deo, plusque ministerii illi exhibet, quam ille, qui solum facit; subjicit enim se Deo, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cetero non potest aliud facere: sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum: ergo. 3. (*Ibid.*) Per votum voluntas immobiliter firmatur in bono; atqui facere aliquid ex voluntate firmata in bono, pertinet ad perfectionem virtutis; sicut peccare ex mente obstinata, aggravat peccatum; & dicitur peccatum in Spiritum sanctum: ergo. 4. (*Opusc. de perfect. vit. spirit. c. 12.*) Quo-